

Incessit illum convitiis. E. vapulabit. Duxit illam. E. amavit.
Procum invenit. E. pulchra fuit.

5 *Positis aut remotis instrumentis contingentibus, probabile est effectum poni, vel tolli; & contra posito effectu vel sublato, probabile est instrumenta esse posita vel sublata:*

Ut, Utitur medicamento. E. convalescet. Habet multos libros bonos. E. doctus evadet. Deus convertit hunc hominem. E. usus est ministris Ecclesiæ.

6 *Posita vel sublata materia communi, probabile est poni vel tolli materiaturum, & contra:*

Ut, In Germaniâ sunt multæ sylvæ. E. multæ naves. In Hungariâ sunt multi aurei. E. multæ aurifodinæ.

7 *A fine voluntario ad media arbitraria probabilis est illatio:*

Ut, Cogitat Francofurtum. E. conducet rhedam. Diligenter incumbit in studium theologiæ. E. adspirat ad gradum Doctoris.

8 *Ab effectu contingenti ad causam probabilis est illatio:*

Ut, Evasit doctus. E. habuit multos libros.

9 *Quod convenit composito, convenire etiam materia probabile est:*

Ut, Glacies est frigida. E. & aqua.

Canones de subjecto & adjuncto.

1 *Posito vel remoto subjecto communi, probabiliter ponitur vel removetur adjunctum contingens:*

Ut, Est mater. E. diligit liberos. Est mulier. E. garrula. Est Cretensis. E. mendax. Est senex. E. querulus.

2 *Posito vel remoto adjuncto communi, probabiliter ponitur aut removetur subjectum:*

Ut, Est nigra avis. E. est corvus. Splendidè vestitus est. E. est dives. Gladius & cristatus est. E. est aulicus. Non amat puerum. E. non est ejus mater,

3 *Posi-*

Mediū con-
tingens è
loco subje-
cti & ad-
juncti.